



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Inuentores Idearu[m]. Ca. 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

ne exacta & distincta cognitione rerū curādarū: nec huiusmodi cognitio distincta in prima mente sine Ideis seruari potest: debent itaque dari Ideæ. Quæ etiam lucidissimè refulgent, dùm consideramus in principio ordinis debere ordinem refulgere, in mundo intelligibili debere sensibilia contineri: ante formas impuras, & fluentes, debere sinceram, & stabilem formam inueniri: sine quibus, nec mundi nexus, nec partium eius ascensus, & descensus, nec rerū simplex natura rectè seruari potest. Inter ea etiam, quæ apud nos versantur, Ideas nobis confirmant certa semina rerum, ex distinctis rationibus, Ideisque proficiscentia: & ea præsertim, quæ ad nostram scientiam, & ad diuersitatem nostræ cognitionis, nempe intelligentiæ, & opinionis pertinent: in quibus explicandis accuratissimè versantur Academici. Colligamus itaque dari Ideas, & à Philosopho rectè sentiente concedendas esse.

Inuentores Idearum.

CAP. II.



Ensent nonnulli Platonem fuisse Idearum, inuentorem; propterea ab auctore eis nomen tribuentes, Ideas Platonicas appellant: at qui ita sentiunt, Platoni, & veritati aduersantur. Platoni primò, quoniam in Sophista inuentum Idearum non suum affirmat, sed virorum, qui sapientia & pietate præstiterunt; & pro inuisibili essentia pugnarunt: & iurè sapientia, & pietate præ-

stiterunt: quoniam sine Ideis, nec pietas erga Deum, nec sapientia ritè seruari potest. Insuper etiam aduersantur veritati; quoniam alij, ante Platonem plurima de Ideis enunciarunt. Afferit Diogenes Laertius, Platonem sumpsisse Ideas ab Epicharmo discipulo Pythagoræ. At nec Epicharmus fuit inuentor earum; quia Pythagoras, & alij ante eum nouerunt Ideas; & si à discipulis Pythagoræ Plato eas desumpsit, cur non potius eas didicit à Philolao præceptore suo, & Pythagoræ discipulo? Pythagoras præsertim Ideas, more sibi consueto, per numeros designauit: ante Pythagoram Orpheus Ideas nouit, & dixit; Iupiter, Idea omnium: ante Orpheum ter maximus Mercurius & in Pimandro, & in Asclepio Ideas manifestissimè designauit: & mundum illum spherum ab Empedocle celebratum, nil aliud fuisse putandum est, nisi mundum Idealem: adeò, ut uerè cum sapientia ortam fuisse notitiam Idearum afferere valeamus. Quod Diuus Augustinus affirmavit, qui in 7. de Ciuitate Dei, cap. 28. ex sententia Marci Varronis affirmat, Ideam, Minervæ nomine à Poetis fuisse designatam; dum aiunt, ex Iouis capite fuisse ortam; quasi Idea & sapientia in idem veniant, & simul orta dicantur. Ac insuper idem August. quæst. 46. præclare enunciauit, aut nullos ante Platonem extitisse sapietes, aut Ideas cognouisse: Siquidem tanta vis in Ideis posita est, ut, eis non intellectis, sapiens quis esse non possit; in qua eadem

Idi Jacobi Carpentarius disputat. 2. Alcius.

dem quæst. asserit: Quis religiosus, aut vera præditus religione, tales Ideas negabit, aut eas non profitebitur? Sed, vt altius quoque eleuemur, fateamur Ideas nõ esse humanum inuētum, sed Dei benignitate fuisse hominibus reuelatas. Nam Diuinus legislator Moyses in Genesi eas in parte expressit, dum dixit: *Hic est liber generationis cœli, & terræ; quando creata sunt die, quo fecit Deus cœlum, & terram; & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra; omnemque herbam agri, priusquam germinaret, &c.* Virgultum antecedens germina terræ, Ideæ sunt in Dei mēte, vt probabiliter suspicatus est Philo Iudæus. Lucius tamen easdem designauit Propheta inquiens: Deus fecit hominē ad imaginem suā: non enim dixit, fecit hominem imaginem, sed ad imaginem suam; quia primò est Deus, secundò Idea hominis, tanquam Imago Dei; ad imaginem autem Dei dicitur factus homo. Pariter Ideas includi Diuus Augustinus asseruit in illis verbis Euangel. Diui Ioann. Quod factum est, in ipso vita erat, &c. vt cumulatè manifestauit Genesis lib. 5. cap. 15. Colligamus itaque, vnà cum diuina, & vera sapientia ornam esse notitiam Idearum.

Quid sint Ideæ.

CAP. III.



Deæ, omnium consensione, species, & formæ sunt, vt nomen ipsum manifestat; sed quales sint huiusmodi

F 3